

L. F. F. L. S.

# DISPUTATIO PHI- LOSOPHICA THEO- REMATA MISCELLA- NEA EXHIBENS

Q U A M

Divinâ favente gratiâ

Ex consensu & approbatione Venerandæ & Amplissima  
facultatis Philosophicæ in inclytâ Academiâ Åboënsi

P R Ä S I D E

Præclarissimo Viro

M. AXELIO A. KEMPE  
Philos. Pract. & Hist. Professore publico, præcepto-  
re, fautore & Sympatriotâ ætatem honorando; nec non  
facultatis Philos. p. t. Decano spectabili,

Pro consuetis in Philosophiâ honoribus publicæ  
eruditorum censuræ submittit

JOHANNES L. CARLANDER. Bothn.  
Sch. Carlburg. R.

Ad diem 9 Febr. Anni 1661 in Auditorio Superiori.

A B O Æ,

---

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.





## Prooemium.

**P**hilosophia, quâ nihil uberior, nihil florētius, nihil præstantius hominum ritæ datum esse, iudicat Cicero, non incommodè amplissimo confertur horto, s̄avissimis saluberrimisq; floribus referto & varijs arborum generibus confito; quæ admirandâ varietate quemvis ad sui admirationem rapiunt: pulchritudine, elegantiâ ac nitore oculos mirificè pascunt: odoris s̄avitate olfactui dulcissimè blandiuntur: gustum mirâ dulcedine afficiunt, & salubri virtutis efficaciâ medicinam non corporis langvoribus præstant, sed animi morbis & infirmitatibus adferunt. Tanta enim earum est s̄avitas & præstantia, ut nemini, nisi quis se hac felicitate indignum præbuerit, fastidium sui pariant; fed quo diutius conspicuntur & tractantur, eò majorem sui admirationem & amorem in animis hominum excitent. Quoniam autem hactenus inter eos, qui hortuli hujus amænitate & insigni fructuum utilitate ducti, ad eum colendum descendederunt, ego meum quoq; nomen professus

sus sum: quanquam tenuitatis meæ conscius in eorum numero infimo me loco haberi non ægrè fero; ne tamen frustrà eò me contulisse videar, non nulos flores ex eodem viridario decerptos & pro meâ tenuitate adornatos tibi, Benevole Lector, exhibeo. Tui ergo erit officij qualicunq; huic meo instituto favere, & quicquid desiderabitur syncero favore sublevare atq; protuo candore dextrè interpretari.

## I. Theorema Generale.

*Philosophia studiosus à sobriâ lectione librorum Gentilium non est prohibendus.*

**A**D mentionem Socratis, Platonis, Aristotelis aliorumq; gentilium non pauci exhorrescunt & deliquio se corripi simulant, eorum scripta homine Christiano planè indigna judicantes: ea namq; à Diabolo excogitata, homines à verâ fide detorquere, clamitat, ut verba Clementis Romani allegat Scheib. in tract. proœm. Log. n. 146. Sed nimis rigidum hoc videtur de Ethnicis, præcipue sanioribus, eorumq; scriptis judicium. Multa enim ab illis præclarè inventa, dicta & ad seram posteritatem transmissa esse constat, quæ veritati & honestati tantum abest ut adversentur; ut etiam Scripturæ Sacrae, rationi & experientiæ (quæ veritatis *χρήσις* sunt) consentanea, animo veritatis cupido satisfaciant, & vitæ humanae secundum normam rectæ rationis egregia morum & honestatis præcepta præscribant. Hæc certè à Diabo-

Diabolo, qui pater est mendacij & infestissimus honestatis hostis, proficisci non potuerunt; sed à rectâ ratione & lumine naturæ, quod etiam in non renatis post lapsum residuum esse agnoscit Apostolus Rom. 1. & 2. ubi ipsum lumen naturæ manifestationem non diabolicam, sed divinam appellat. Quis ergo Ethnorum libros sine ullâ exceptione damnandos, aut manibus Christianorum prorlus eximendos esse judicabit: adeò ut homini Christiano non liceat ex ijs haurire, quicquid veritati & rectæ rationi congruit? Contrarium certè suis fvatet Thessalonicensibus Paulus 1. Thes. 5. 21. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Sic Isocrates in Parænesi ad Demonicum, *Sicut apes*, inquit, *omnibus quidem insidere flosculis, de singulis autem utilia carpere videamus: sic eruditionis comparanda studiosos nullius rei esse rudes sed undiq; utilia colligere decet.* Præterea constat Mosen eruditum esse in omni sapientiâ Ægyptiorum. Act. 7. 22. Danielem cum socijs in literis & lingvis Chaldæorum. Dan. 1. 4. Ad hæc ignominiae sibi non duxit Paulus in epistolis suis allegare testimonia gentilium: Epimenidis Tit. 1. 12. Menandri 1. Cor. 15. 33. Ex quibus omnibus lectionem librorum Ethnicorum Christianis licitam esse concludimus, modo in scriptis eorum per volvendis adsit sobrietas: ne omnia, quæcunq; à gentilibus tradita sunt, citra delectum recipiamus, aut notitiam nostram in eorum scriptis unicè fundari existimesmus; sed ut utilia ab inutilibus & vera à falsis discernamus. Nam neq; Philosophos Christianos per omnia approbare tutum est; cum eos in meditationibus Philosophicis non semper rem acutæ tetigisse constet. Cavendum etiam, ne cum neglectu Sacræ Scripturæ scriptis Ethnicorum invigilemus, aut eorum sententias divinis

oraculis præferamus ; sed si in libris eorum aliquid occurrit, quod verbo divino repugnat, id indè omnino emendemus. Major enim nobis esse debet Scripturæ Sacrae authoritas, quam omnis ingenij humani sagacitas.

## II. Theorema Logicum.

*Non omnis propositio Syllogistica, in quâ particula negans immediate copulæ præmittitur, negativa judicari debet.*

Propositio negativa Logicis dicitur: cuius vinculum negatur, vel: in quâ integrum prædicatum à subjecto removetur. Monent autem Logici in propositione negativâ particulam negantem convenienti loco collaudandam esse: & præterea accuratè observandum, ne eius negatio aliundè impediatur. Quod imprimis contingit in propositionibus; ubi duæ particulæ negativæ, in eundem cadentes terminum, apud Latinos vim habent affirmandi, eò quod una alteram impedit. Deinde requiritur ad veram negationem, ut particula negans copulam propositionis afficiat & totum prædicatum à subjecto removeat. Quod fit, cum illa toti propositioni præmittitur, in signo universalis, *nullus*, vel alijs aequalibus: aut immediate præponitur copulæ, vel verbo in quo latet copula. Secùs particula negans collata post signum ante subjectum, aut post copulam ante prædicatum, propositionem non reddit negantem sed infinitè affirmantem, quæ à negationibus accuratè est distingvenda. Licet enim propositio negans & infinitè affirmans in multis idem significant; aut saltem dictamen earum in aliquibus exemplis non sit adeò evi-

dens

dens: tamen illæ sine jacturâ veritatis semper confundî nequeunt. His majoris evidentiæ gratiâ præmissis, porro notandum ratione affirmationis & negationis non semper eandem esse rationem propositionum in Syllogismo & extra Syllogismum. Dantur enim quandoq; in Syllogismo propositiones affirmantes, quæ extra Syllogismum sunt negantes: adeò ut etiam negativa particula immediate copulæ præmissa semper in Syllogismo propositionem negantem non efficiat, ut v. g. hæc propositio: *Iudei non credunt*, absolutè & extra Syllogismum est negans; sed Syllogismo hunc in modum inclusa: *Quicunq; non credunt, damnantur.* *Iudei non credunt.* E. *Iudei damnantur*, eadem propositio est infinitè affirmans: quod apparet ex conclusione affirmatâ quæ inferri legitimè nequit, nisi ex utrâq; præmissarum affirmatâ. Sicut ergo terminus, *non credunt*, in subjecto majoris est infinitè affirmans: sic erit etiam in minori; & per consequens non reddit eam negantem, sed relinquit infinitè affirmantem. Particula enim negativa, quæ copulæ præponitur, in ejusmodi Syllogismorum assumptionibus, non afficit copulam, sed ad prædicatum pertinet, quia est pars medij termini,

### III. Theorema Metaphysicum.

*Entis conceptus in ordine ad substantiam*  $\Sigma$  *Accidens non est equivocus, nec univocus, sed analogus.*

Conceptus Entis est vel objectivus; estq; nihil aliud quam ipsa res prout intellectui obiicitur: vel formalis;

qui est forma vel species rei in mente hærens & rem  
extra intellectum constitutam intellectui repræsentans.  
Talem autem Entis conceptum verè unum & ab infe-  
rioribus præcismus esse præsupponimus. Nam non so-  
lum Ens in præciso suo conceptu unâ definitione ex-  
plicatur: sed etiam quivis experitur se audito vocabulo,  
*Ens*, non concipere statim ens per se subsistens, aut al-  
teri inhærens, sed aliquid tale, in quo hæc inter se con-  
veniunt. Cæterum illa convenientia substantiæ & Acci-  
dentiæ non in solâ nominis communione consistit, &  
per consequens ille conceptus non est æquivocus. Æ-  
quivoca enim, voce propriè acceptâ, solum nomen  
commune habent, citra identitatem definitionis & es-  
sentiæ. Accidenti autem præter nomen ipsa etiam  
definitio Entis competit; quia Accidens veram habet  
essentiam & actiones eandem concomitantes. Deinde  
conceptus ille univocus esse nequit. Ad veram enim  
univocationem requiritur, ut species æquè primò par-  
ticipent de essentiâ generis. At Ens inæqualiter es-  
sentiâ Substantiæ & Accidenti communicat; illi qui-  
dem primariò: huic verò secundariò. Inæqualitas au-  
tem illa in hoc consistit: quod quanquam Accidens sit  
verè Ens, ut modò dictum, tamen essentia Accidenti  
ab essentiâ Substantiæ dependet, eamq; prærequi-  
rit: adeò ut ne declarari quidem possit commodè, ni-  
si per habitudinem ad illam. Relinquitur ergo conce-  
ptum Entis in respectu ad substantiam & Accidens ei-  
se Analogum, analogiâ non proportionis, quæ cum æ-  
quivocatione consilio factâ coincidit; sed attributionis,  
quæ ita essentiam communem in analogatis requirit, ut  
illa uni conveniat primariò & alteri secundariò. Obser-  
vandum autem analogiam non consistere in nudâ in-  
æqua-

æquali specierum dignitate; quia vel nulla, vel patet  
sunt genera, quorum species per omnia æquali gaudent  
perfectione: Sed in inæqualitate ordinis & dependen-  
tiâ, ita ut essentia generis uni communicetur prius, alte-  
ri posterius & quidem dependenter ab alio. Eam enim  
ob causam animal respectu hominis & muscæ est ge-  
nus univocum; quod licet musca non sit ejusdem di-  
gnitatis cum homine: tamen illa ab hoc non depen-  
det, nec ad suam essentiam hujus essentiam prærequi-  
rit. Accidens autem à Substantiâ dependet, non so-  
lùm in quantum est Accidens, sed etiam in quantum  
est Ens: adeò ut extra eam nec produci, nec conser-  
vari possit. Nam esse Accidens & per se subsistere,  
contradictionem implicant. Undè sequitur essentiam  
primariò competere substantiæ & secundariò Acciden-  
ti, atq; ita Ens illis tribui Analogicè.

#### IV. Theorema Pneuma- ticum,

*Animaë immortalitas lumine naturæ quodammodo  
cognoscitur.*

Ex sacris literis & lumine gratiæ manifestè constat  
animam humacam simul cum corpore non interire:  
adeò ut id jam probatione non egeat. Verum an i-  
dem ex principijs naturæ doceri possit, jam disquiri-  
mus. Certum est saniores Ethnicios multa de animæ  
immortalitate disseruisse: cujus rei evidentissima &  
elegantissima paganorum testimonia passim apud au-  
thores extant. Testatur autem Cic. Quæst. Tasc. I. I.  
*Pherecidem Syrum*, quod literis extet, primùm fuisse,  
qui animos hominum sempiternos esse dixerit; & deinde

de discipulum ejus Pythagoram hanc sententiam fovis-  
se. Verba Socratis ad Calliclem : homines quicunq; vi-  
tam suam piè justèq; exegerunt, & ea defuncti in beatorum  
insulas proficiuntur, ibi omnis mali expertes in summâ felici-  
tate vivunt. Memoratu digna est sententia Senecæ:  
*Intrepidus horam illam decretoriam prospice, non est animo*  
*suprema, sed corpori.* Dies iste quem tanquam extremum  
reformidas, aeterni natalis est. Cic. in Cat. maj. hunc in  
modum exclamat: O præclarum diem cum ad illud divi-  
num animorum concilium cætumq; proficiscar, & cum ex hac  
turbâ & colluvione discedam. Rationes autem præcipuae,  
quibus sententia de immortalitate animæ naturæ ductu  
propugnatur, petuntur tum à justitiâ Dei, tum ab ipsius  
animæ humanæ origine & operationibus. Cum enim anima ratione suæ originis & operationum pro-  
priarum (puta intellectionis & volitionis) à corpore  
non dependeat: sequitur eam neq; ratione essentiæ ab  
hoc dependere (nam modus operandi sequitur mo-  
dum essendi) sed à corpore separabilem adeoq; im-  
mortalem esse. Hæc & alia complura argumenta Pla-  
tonem, ut animas immortales esse crederet, permove-  
runt, teste Cic. Quæst. I, i: ubi inquit Platonem  
tot rationes pro confirmandâ hac sententiâ attulisse, ut velle  
ceteris, sibi certè persuassisse videretur. Multis tamen hæc  
non apodictica sed probabilia videbantur, ut clarum  
est ex verbis Antonij; qui fatetur se saepius evolvuisse li-  
brum Platonis de Animo: sed nescio quomodo, inquit, dum les-  
go, assentior: cum posui librum & mecum ipse de immortali-  
tate animorum capi cogitare, omnis illa assensio elabitur. Sic  
Theombrotus cum legisset eundem librum Platonis,  
probabat quidem dum legit, statim tamen vacillabat  
iterum: & tandem ut re ipsâ experiretur, verane essent  
quæ

quæ dōcuerat Plato, de muro se præcipitando mortem sibi concivit. Imò ipse Cicero, licet l. c. dicat, sibi nihil occurrere, cur non Platonis & Pythagoræ sententia vera sit: tamen non nunquam vacillare vis detur, ut videre est ex Cat. maj. ubi in hæc verba erumpit: Si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo.

## V. Theorema Physicum.

*Gravia deorsum & levia sursum principaliter & proximè moventur à formâ suâ substantiali per gravitatem & levitatem efficaci.*

Interpretes Aristotelis magnoperè se hic torquent, & nonnulli ad generans: alij ad removens impedimentum: quidam etiam ad medium confugiunt, nullum motus hujus principium internum, sed externum agnoscentes. Verum enim vero cum hic motus gravium & levium corporum, non sit violentus sed naturalis: à principio aliquo interno eum proficiisci necesse est. Hoc enim est proprium rerum naturalium, in se habere motus sui naturalis principium. Præterea quia motus gravium & levium est effectus actu existens; & quidem talis, cuius tota essentia consistit in successione: necessariò requirit causam principalem actu existentem, quâ sublatâ ipse etiam tollitur. Hæc autem causa alia assignari nequit, quam ipsorum corporum forma essentialis, quæ sola, hunc motum principaliter efficiens, eidem coexistit. Id quod ajunt, gravibus & levibus virtutem motricem à generante esse

communicatam, quæ tanquam instrumentum genito-  
ris gravia & levia movet: leve est. Virtus enim illa  
motrix à generante corporibus impressa, nulla est præ-  
ter formam qualitatibus motricibus, gravitate & levi-  
tate, iunctam, quam à genitore introductam esse non  
inficiamur. Unde porro sequitur hunc motum à ge-  
nitore, tanquam à causâ remotâ proficisci. Cum e-  
nīm corpora à genitore habeant, ut sint gravia &  
levia: non negandum ea ab ipso, ut ab agente remo-  
to, moveri: quia causa causæ est etiam causa causa-  
ti; & qui dedit formam, dedit quoq; consequentia  
formam. Quod autem hic motus causæ procreanti  
principaliter & proximè non sit adscribendus, vel  
hinc apparet: quod ad eum illius vel existentia, vel  
præsentia localis non requiritur. Sic etiam sequere-  
tur nullum animal moveri à se principaliter; quia à ge-  
nitoribus omnia virtutem motricem acceperunt: imo  
sequeretur nullum corpus naturale actionis suæ, quæcum-  
què tandem ea sit, principalem esse causam, cum o-  
mnia actionum suarum principia à procreantibus ha-  
beant. Medium & removens impedimentum hie cau-  
sæ principalis rationem obtinere nequeunt; quia illud  
gravia & levia non movet, nisi prius ab ijs motum  
fuerit: hoc verò ad motum nihil præter impedimenti,  
quo corpora detinebantur, remotionem confert: quâ  
factâ gravia deorsum & levia sursum suâ naturâ à prin-  
cipio interno feruntur.

## VI. Theorema Ethicum.

*Affectus, quâ tales, moraliter malî non sunt, sed qua-  
tenus à præscriptore rectæ rationis exorbitant.*

Cum

Cum affectus communiter statuantur objectum vir-  
tutis moralis, non injuriā quæri solet ab Ethicis, quo-  
modò in genere morum se habeant, h, e, an omnes af-  
fectus moraliter mali sint eamq; ob causam simplici-  
ter damnandi? Affirmativam tenent Stoici; quanquam  
hic verbis magis quam sensu à Peripateticis dislidle  
videantur. Ubi enim hi per affectus simpliciter intelli-  
gunt motus appetitus sensitivi, prout in se spectantur:  
ibi illi eas tantum motiones affectuum nomine dignas  
judicant, quæ jugum rectæ rationis excutione, ut id a-  
pertè testatur Seneca: *Si ira modum adhiberi sibi patitur,*  
*alio nomine appellanda est: definit ira esse, quam effrenatam indo-*  
*mitamq; intelligo.* Sic zeno perturbationem vocat, *immodicum*  
*animi impetum.* Apollodorus in Moralib. Sapientem non  
dolore capiendum judicat, quod illa ægritudo sit *animi ra-*  
*zione adversante, contractio*, ut testis est Diog. Laert. in vita ze-  
nonis. Sed quicquid sit de sententiâ Stoicorum, certum est  
affectus in se consideratos, moraliter neq; bonos neq; ma-  
lios esse; cum nihil aliud sint quam simplices & nudæ animi  
motiones, quibus appetitus sensitivus à natura ad con-  
servationem animalis armatus & instructus est. Bo-  
nitas autem & malitia moralis illis accidit, quatenus vel  
ductum rectæ rationis sequuntur: velejus imperium detre-  
quant eamq; antevertunt. Id docet Arist. dum 2. Eth. 5.  
*boninem propter affectus negl laudari negl vituperari ait.* Et  
D. August. Non queritur, inquit, utrum animus irascatur,  
sed quare irascatur? nec utrum sit tristis, sed unde sit tri-  
stis? nec utrum timeat, sed quid timeat? Irasci enim peccan-  
ti ut corrigatur: contristari afflico, ut liberetur: periclitati  
timere, ne pereat, nescio utrum quisquam sanâ consideratio-  
ne reprehendat. Imò nulla est vita sine aliquâ motione;  
nam indignus humana societate videtur ille, qui nullis

movetur affectibus, h. e, qui nemici irascitur, neminem amat, nihil timet, &c. Hinc ipsos etiam Stoicos certum est non ita instar lapidis ad omnes casus induruisse, ut non vel levissime commoverentur. Tradit enim Illustrius lib. de Philosophis, quomodo, cum Zeno dicere soleret, in sapientem non cadere mortorem: hujus dicti constantiam experiri volens rex Antigonus, subornaverit quandam, qui falso ei nunciaret, agros ipsius ab hostibus direptos, & uxorem cum liberis abductam. Cum autem eum vultu dejecto mortuum animadvertisset: visusne, inquit, divitias non esse ex his rebus, quibus neutram in partem moveri debeamus. Constat denique ex sacris literis ipsum Salvatorem, qui omnis malitia moralis expers fuit, non tamen ab omni perturbatione vacuum fuisse. Nam ipsum morte Lazari tristatum Joh. 11. Successu Evangelij letatum esse legimus. Luc. 10. &c. Unde apparet affectus simpliciter non esse damnandos; si modò excipientur non nulli, quorum ipsa nomina vitium & pravitatem implicant, ut invidia, ~~envia~~, &c. Hi enim non nisi sunt affectus, sed conjuncti cum circumstantijs ex quibus malitia moralis dependet.

## VII. Theorema Politicum.

*Judex semper quidem secundum acta & probata,  
nunquam tamen contra conscientiam judicabit.*

Mota est hæc controversia & in dubium vocata cum ab antiquis, tum à recentioribus Politicis; quorum alij judicem acta & probata, neglectâ conscientiâ, sequi debere contendunt: alij conscientiam neutram lædendam esse asserunt. Cum autem utraq; sententia fuos, eosq; celebres habeat propugnatores & fautores, ponderosissimis rationibus instructos: difficile judicatu

vide-

Videtur, utri parti adhærendum. Imprimis autem requiri-  
git id munus judicis, ut rationem juris veluti normam  
quandam in omni lite dirimendâ sequatur & legem  
dextrè secundum legislatoris mentem interpretetur, nec  
ex suo arbitrio, posthabito legum tenore, sententiam  
ferat; nam sic optimè intra officij sui limites contine-  
tur. Deut. 17. II. Si autem ipsi liceret allegata & pro-  
bata negligere, &, nullâ habitâ ratione probationum  
aut testium, quidvis decernere & statuere, sequerentur  
hinc maxima incommoda & judiciorum perversiones:  
dum iniqui judices facile condemnarent innocentibus,  
& nocentes sub prætextu privatæ conscientiæ absolve-  
rent. Sic etiam per libidinem judicis omnis accusatio  
& defensio enervaretur, & nullus innocentia præsidi-  
um in testibus haberet; cum tamen ipse Deus in redu-  
biâ testes produci velit. Deut. 17. v. 6. Ubi verò talis  
se obtulerit casus, ut judici ex *avrophiq* aut alijs indubi-  
tatis argumentis certissimè constet probationes veri spe-  
ciem mentiri & reipsâ veritati adversas esse: ibi contra  
conscientiam & ipsam rei veritatem innocens à judi-  
ce non est condemnandus. Hoc enim pugnat cum ex-  
presso Dei interdicto, Exod. 23. 2. *Non acquiesces pluri-  
morum sententiæ, ut à vero devies.* & v. 7. *Insontem q̄ jūs-  
sum non occides, quia aversor impium.* Qui verò secun-  
dum acta & probata condemnat eum, quem novit es-  
se innocentem: is utiq; justum occidit, adeoq; istam  
legem Domini transgreditur. Meissn. Ph. Sob. p. 3.  
§. 2. c. 5. Q. 4. Pugnat etiam hoc cum justitiâ & veri-  
tate. Nam non licet ullâ in re justitiæ aut veritati ad-  
versari; quarum tamen utraq; violatur, si ullâ in cau-  
sa majoris aestimatur publica probatio, quam explora-  
ta rei veritas. Brochm. de Mag. Pol. casu conc. 9.

Pugnat deniq; cum viri boni officio. Nihil enim magis alienum est à viro bono, quam contra conscientiam, hoc est certissimam ejus rei scientiam, quæ in animo ejus versatur, judicare. Cum ergo judex ex privatâ sententia & pro libitu authoritate judiciariâ neminem condemnare aut abolvere; nec in tali casu iniquam sententiam contra conscientiam ferre debeat: si testes à perjurio dehortando, & de loco, tempore atq; alijs circumstantijs percontando, & reliquis hujusmodi medijs, quibus res ignota in lucem proferri solet, nihil prosecerit, aut probationes falsitatis convincere potuerit: tutissimum videtur officium judicis deponere & testis partes suscipere, ut sic parti innocentî suo testimonio adesse queat; cum ipsi non sit concessum simul testis & judicis officio fungi.

### VIRUM

*Eruditione & virtute, summis vite humanæ ornamenti maximè conspicuum,*

**D N. JOHANNEM LAUR.**  
**CARLANDRUM**, Philosophiæ Candi-  
datum laudatissimum, Scholæ Neo Carlebyensis in Both-  
nia Orientali Rectorem solertissimum, fautorem & a-  
micum meum certissimum, pro summis in Philoso-  
phia honoribus disputaturum, hoc Syllogismo  
metrico honorare volui

**A**ssiduos semper comitantur digna labores  
Præmia, virtutem gloria certa manet,  
Quos Tu CARLANDER tolerasti sponte labores,  
Novit Aboa satis, novit & Upsalia.

Ergo

Ergo ter faustis avibus jam suscipe laurum,  
Quam Tibi pro meritis nedit Apollo. Vale.

L. Mq.

ANDREAS THURONIUS  
Phyl. & Log. Prof. ordin.

EN tibi, CARLANDER, prodest sudasse per artes:  
Differis egregie celso de ponte cathedræ.  
Justa igitur dantur vigilis stipendia curæ,  
Atq; tibi meritæ veniunt encomia famæ.  
Gratulor ergo tibi, patriæ decus atq; Dearum:  
Hunc juvet incepsum melior fortuna laborem.

Ita l. mq. licet rudi Minervâ Sym-  
patriotæ suo congratulari  
voluit

MATTHIAS J. MATHESIUS.

CARleopolitanæ Rector præfixe juventæ  
Egregium Phœbi Pieridumq; decus;  
Quas referam laudes aut quæ præconia dicam,  
Ut celebrem celsum quem petis arte gradum.  
Vicisti omnigenos infractâ mente labores,  
Nec piguit curæ tædia multa pati.

Inge-

*Ingenuas animi clausissi in pectore dotes  
Quod juvenem decoret promoveatq; tenes;  
His meritis ( inquam ) meritis in Pallada claris,  
Censeris meritò dignus honore novo.  
Præmia digna feres, tua dum juvenilia lauro  
Tempora Apollineâ vinciat ipse manu.  
Ergo suum plaudens foveat modo Bothnia civem,  
Carlepolis fidum nostra juventa ducem.  
Nos quoq; successum gratamur Sympatriotæ  
Felicem, Divum quisq; precamur opem.*

*Sympatriotæ suo hæcce festi-  
nanter dedit*

**GABRIEL E. FORTELIUS**  
*Botn.*

